

gere, & motum unum facere, cum auriculis continuum, sed undationem quandam & lateralem inclinationem obscuram, secundum ductum ventriculi dextri, & quasi sese leviter contorquere, & hoc opus peragere: quemadmodum cernere licet, cum equus potat, & aquam deglutit, singulis gulæ tractibus absorberi aquam, & in ventriculum demitti; qui motus sonitum & pulsus quendam, auscultantibus & tangentibus exhibet; ita dum istis cordis motibus, fit portionis sanguinis è venis in arterias traductio, pulsus fieri & exaudiri in pectore contingit.

Motus itaque cordis omnino ad hunc se habet modum, & una actio cordis est ipsa sanguinis transfusio, & in extremâ usque, mediantibus arteriis, propulsio; ut pulsus, quem nos sentimus in arteriis, nil nisi sanguinis à corde impulsus sit.

An verò cor sanguini, præter trans-